Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quod fieri non potest nisi gignendo eum aut faciendo. Sed neque genitricem neque conditricem patris ullo modo quisquam dixerit sapientiam. Quid enim est insanius? Ergo et pater ipse sapientia est. Et ita dicitur filius sapientia patris quomodo dicitur lumen patris, id est ut quemadmodum lumen de lumine et utrumque unum lumen, sic intellegatur sapientia de sapientia et utrumque una sapientia. Ergo et una essentia, quia hoc est ibi esse quod sapere. Quod enim est sapientiae sapere et potentiae posse, aeternitati aeternam esse, iustitiae iustam esse, magnitudini magnam esse, hoc est essentiae ipsum esse. Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia quae essentia. Capitulum quod patris et filii essentiam significans non esse relativa, quia quaeque ad se non ad aliquid dicuntur, sed simul ambo sunt. .II.

Pater ergo et filius simul una essentia et una magnitudo et una veritas et una sapientia. Sed non pater et filius simul ambo unum verbum, quia non simul ambo unus filius. Sicut enim filius ad patrem refertur, non ad se ipsum dicitur, ita et verbum ad eum cuius verbum est refertur cum dicitur verbum. Eo quippe filius quo verbum, et eo verbum quo filius. Quoniam igitur pater et filius simul non utique unus filius, consequens est ut pater et filius simul non ambo unum verbum. Et propterea non eo verbum quo sapientia, quia verbum non ad se dicitur sed tantum relative ad eum cuius verbum est, sicut filius ad patrem; sapientia vero eo quo essentia. Et ideo quia una essentia, una sapientia. Quoniam vero et verbum sapientia est, sed non eo verbum quo sapientia; verbum enim relative, sapientia essentialiter intellegitur; id dici accipiamus cum dicitur verbum ac si dicatur nata sapientia, ut sit et filius et imago. Et haec duo cum dicuntur, id est nata sapientia, in uno eorum quod est nata, et verbum et imago et filius intellegatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur. At in altero quod est sapientia, quoniam et ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur, et hoc eius esse quod sapere. Unde pater et filius simul una sapientia quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia sicut essentia